



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Quòd prudens sit sibijpsi intimus. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

§. 9. *Quòd prudens sit sibiipſi intimus.*

ERis prudens, ſi fueris ſemper proximus cordi tuo. Ibi diſce, quod iuuat te omni tempore. Ibi conſtitte tibi manſionem, a facie inimici. Inibi aſcende per orationem lachrymantem ante pedes I E S V, vt vincas omnem paſſionē, & fumigantem delectationem mundi & carnis aduerſum te. Hæc eſt via prudentiæ, amare iuſtitiam, & odire iniquitatem: bene facere, & malum pro veritate ſuſtinere: exteriora agere, & interiora non obliuiſci: curas ad tempus habere, alienum tamen eſſe ab omnium rerum blandimento: non ſequi trahentem concupiſcentiam, ſed relictari per virtutem magnam. Non tu eas ſequere, ſed illæ te ſequantur. Tu verò quò vadiſ? Ad eum, qui miſit te, vt facias opera tua omnia in charitate, & cuſtodias ea ſumma humilitate: hoc enim iter, quo oſtenditur ſalutare Dei. Et enim dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis.* Et ruruſum: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Si huic uſque veneris, non priuaberis ſpiritualibus profectibus: ſed eris ſicut liber ſcriptus foris & intus, ſimiliſque patrifamilias proferenti noua & vetera de theſauro ſuo; dum exteriora agis, & apud altiſſimum ſit cogitatio tua. Quàm ſimile etiam huic ſeſui, quod in pſalmo legiſti? *Oſ iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur grefſus eius.* Hæc tibi ſignabis, quotieſcunq; tumultus ferre grauaris. Nam actio non eſt cauſa perturbationis noſtra, ſed magis paſſio.

*Matth. 11.
Ioan. 14.*

Matth. 23.

Pſal. 36.

§. 10. *De paſſionibus vincendis.*

Igitur circa eas vigilandum eſt, ne incipiant ſurgere, & poſſint praualeſcere. Quid ſic turbat oculum prudentis, ſicut frequens ira? quid ita inquinat, ſicut concupiſcentia? Quid ita excæcat, ſicut munera & blandimenta noxia? Ingemiſcit propheta aduerſus paſſiones iſtas, & conſitens Deo abſcondita cordis ſui, ſic orat: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Cor meum conturbatum eſt, ecce ira pacem tollens: dereliquit me virtus mea, ecce concupiſcentia vigorem animi molliens: & lumen oculorum meorum non eſt mecum, ecce auaritia munera ſecum portans, ſed oculos veritatis & iuſtitie plerumque eruens.* Nunc ergo vide, qualiter euadas laqueos venantium, in quibus omnes poſiti ſumus. Nullus alteri obijcere poteſt. Quid concupiſcis? Ecce in concupiſcentia omnes generati ſumus. Et quia bellum omni ex parte iſtat, cauti ſumus. Deus adiutor noſter, & ideo intentè orenſus. Suauis eſt & mitis, ideo accedamus. Miſericors eſt & clemens, ideo non deſperemus. Po-

*In omni
paſſionum
genere ad
Deum re-
currēdum.*

tenſ